



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Oliverii Florentii Waterloop Congreg. Oratorii B. Mariae  
Aspricol. Presbyteri Monita Spiritvalia Et Moralia  
Tetrastichis distincta**

**Waterloop, Oliverius F.**

**Antverpiae, 1657**

**Titulus XI. Gratitudo.**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9689**

Effata jurantis viri  
Haud sperne: ne perjurii  
Videaris ipse conscius,  
Idemque contemptor DEI.

3. Amico amicus nil negat,  
Quod esse gratum noverit:  
Inimicus est, quem, quo scatet,  
Negasse amico nil pudet.

Quod ipsa donet æquitas,  
Ratioque dictet, id pete:  
Iniquus aut stultus petat,  
Quod justus aut prudens neget.

Ab altero ne postules,  
Quod alteri nolis dare:  
Nec alteri quidquam nega,  
Quod postules ab altero.

Si ne gravis sis alteri  
Vereris, haud eris gravis:  
Si ne molestus sis times,  
Eris molestus nemini.

Vt sis molestus nemini,  
Nullum arbitrare remedium  
Præsentius, quam si tibi  
Oculos & aures eruas.

### Gratitudo.

I. Post munus acceptum cave  
Ne consenescat gratia:  
Da tempore, & loco, & modo,  
Quo jam fuit datum tibi.

Beneficium beneficio  
Pro viribus remunera:  
Hoc fraude munus accipis,  
Quod sponte nolis reddere.

Da: nomen ingratu suge.  
Te largiorem vel bonus  
Laudabit; unà cum bonis  
Culpabit ingratum malus.

Ingratus ut ne sis, libens  
Impendiosus audias:  
Vix laudet ingratum malus;  
Impendiosum etiam bonus.

Donata digno munera  
Virtutem honorant, non virum:  
Hic factus à te ditior  
Plures juvabit indigos.

Thefaurus est magnus, viro  
Locata grato gratia:  
Res parva tempore & loco  
Donata, habetur maxima.

Thefaurus est, tibi debita  
A fido amico gratia:  
Datum redibit, aut tuo  
Vinctum triumphas munere.

Valenter ingratu tuis  
Supera animum beneficiis:  
Vretur, & victus tibi  
Se tradet, & reddet tua.

Est tempus unum, reddere  
Quod ne quidem gratus potest:  
Perire quod potuit semel,  
Iterum perire non potest.

B b 2 Be.

Beneficium beneficio

Quod addis, affectum doces:

Me munere erudis novo,

Dokesque dando reddere.

A me tot officia exigis,

Quot vix reponas: da semel

Quod impetrasti septies,

Miras habeo gratias.

Ne pasce, qui, cum paveris,

Te postmodum lanient canes.

Gratum juva: nil tam perit,

Quam quidquid ingrato datur.

Ingratum amas? amas malum,

Amas malorum pessimum:

Mala multa tellus, sed viro

Nil pejus ingrato tulit.

Hominis fuge ingrati domum,

Cui quando feceris bene,

Debere ne agnoscat tibi,

Accepta dissimulat bona.

Ingratus uni, ingratus est

Propè omnibus. Merebitur

Secunda ferre munera,

Ad prima qui gratus fuit.

Donetur ut majus tibi;

Id redde quod potes minus:

Ingratus unus, omnibus,

Gratis licet, miseris nocet.

Ingratus ille est, qui leves

Grates agit sine fœnore:

Quid ille, qui acceptum gravi

Bonum remunerat malo?

Heris, amicis, debitas

Canis, leo, grates agunt:

Ni gratus es; jure audies

Leone pejor & cane.

2. Ne sperne, quod munusculum.

Vtramque non implet manum:

Non mole debent munera,

Sed aestimari pondere.

Est, quidquid excellit, breve,

Subtile, pressum, pondere

Quam mole majus: multa quam

Metitur ulna, res jacet.

Rotundior numquam fuit

Minore major circulus.

Vt sit venusta scriptio,

Figura mole plus facit.

## *Prudentia. Fortitudo.*

1. **P**rudentia est idonei

Rerum gerendarum modi,

Locique, & apti temporis

Scientia atque regula.

Sunt rara vitae commoda,

Prudentia atque sanitas:

Duobus ictis nil homo

Habet bonis pretiosius.

Prudentia atque sanitas

Duo rara sunt vitae bona:

Hæc commodata si nequis,

Industriæ fructu cæres.

Pruden-